



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCLXX. De Villico iniquitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

*Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* O quantum hæc verba Gaudium parere debent in animo continentis suam Innocentiam, quantam gratiarum actionem, quantam sollicitudinem Perseverantiam, quantam Fiduciam, & Spem Præmij! E contra quantum dolorem, pænitudinem, humilitatem, & fidem in animo tuo excitent, si nequeas dicere: *Et tot annis servio tibi &c;* sed si brevi solum tempore viæris optimo Patri, & frequenter Mandata ejus præteriveris!

## MEDITATIO CCCLXX.

### *De Villico iniquitatis.*

LUC. 16. v. 1.

**P**UNCTUM I. *Dicebat autem ad Discipulos suos: Hic quidam erat dives, qui habebat Villicum, & hic dissipatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Luc. 16. v. 1. Per hunc Villicum designatur homo, qui unius peccato mortali dissipat Bona Supernaturalia Gratia Sanctificantis, & omnium Habituum dependentium à Gratia: Et qui Bona Naturalia animi vel corporis ex.gr. Ingenium, Intellectum, Scientias, Valetudinem corporis, ejus integritatem, membra, potentias internas & externas malè usurpat, vel ad fines malos: qui etiam officium sibi commissum malè administrat. Hic Villicus diffamatur apud DEVM per ipsius universalem Scientiam certissimam & inevitabilem, quæ minimæ quæque culpæ illi sunt perspectæ. Perpetua de itaque, qualia & quanta bona Villicationi tuæ commissa sint; quid & quantum dissipaveris; & pro quantum villicus



vilibus rebus, voluptatibus, aut honoribus.

PUNCT. II. *Et vocavit illum: & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem Villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* v. 2. Bis Villicum Dominus vocat ad reddendam rationem Villicationis suæ. 1. quando illum evocat ex hac vita, dum Anima è corpore egreditur in eodem loco, quò fit dissolutio unionis. 2. quando illum vocat ad Judicium Universale in Valle Josaphat. In utroque Judicio, nimirum Particulari & Universali, quælibet minima dissipatio innotescit Judici, & pro qualibet decernitur proportionata pæna; quæ ubi aliquando decreta fuerit, non mutatur Sententia in æternum. Itaque Dominus exigens rationem Villicationis de toto tempore vitæ nostræ est Omniscius, infinitè Justus in præmiando & puniendo, & Immutabilis sive Inflexibilis in judicando. Idem in Universali Judicio per Omnipotentiam suam in momento infundit singulis hominibus notitiam distinctam & claram omnium actionum, præmio vel pænâ dignarum, à toto Genere Humano præstitarum: ut omnibus pateat, Domini Rationem exigentis æquitas, & Villici dissipantis iniquitas; sicut & boni Villici Probitas ac Fidelitas.

PUNCT. III. Postquam Villicus, convocatis debitoribus Domini sui, debita sua imminuit, ut à Villicatione amotus, in domos eorum reciperetur; *Laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Et subjecit: *Et Ego Vobis dico: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in Æterna Tabernacula.* v. 9 Laudavit Dominus Villicum iniquitatis non absolutè, sed respectivè & juxta Prudentiam mundanam hujus Sæculi, quæ non attendit,



an juſtè, an injuſtè agat, modò providè agat; hanc autem Prudentiam, ſimul cum Juſtitia jungendam docuit Chriſtus imitandam eſſe à Filijs Lucis, qui propter ſuam avaritiam & immiſericordiam reprehendebat; ut nimirum, non quidem poſt redditam rationem Villicationis ( quia tunc nimis ſerò id fieret ſed dum tempus eſt, de Mammona iniquitatis, id eſt de bonis ſuis, vel iniquè acquiſitis, vel ad iniquitates & peccata ſervientibus, Eleemoſynas Pauperibus elargirentur: ut intuitu earum DEVS conferret Auxilia Efficacia Pœnitentiæ Juſtificantis. Sic enim ad hæc obtinenda pauperes illi, quorum miſeria ſublevatur, adiumento ſunt; & ideo ipſi quodammodo dicuntur, ſuos Benefactores recipere ad Æterna Tabernacula. Si autem Eleemoſyna, aut aliud opus Miſericordiæ corporalis, ſive corpori Proximi præſtitum, tam utile & efficax eſt ad impetranda Mediæ Juſtificationis; quantò magis erunt opera Miſericordiæ Spiritualis, Vivis vel Defunctis præſtitæ? Et Villico iniquitatis profuit iniuſta debitorum Domini ſui remiſſio; quantò magis proderit, ſi remittamus debitoribus noſtris, ad hoc, ut & ipſe DEVS dimittat nobis debita noſtra?

## MEDITATIO CCCLXXI.

*De Divite Epulone, & Lazaro.*

LUC. 16. v. 19.

**P**UNCTUM I. *Homo quidam erat Dives, qui induebatur Purpurâ & Byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Erat autem jacentis ad ſuam domum erat quidam Mendiculus, nomine Lazarus, qui jacebat in*